

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Martino Ruellio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Martino Ruellio S. D.

Gaudeo tibi meas literas gratas & iucundas esse. Nulli enim magis talibus adhortationibus delectantur, quam hi qui sua sponte ad uirtutem colendam incitati sunt. Ideo spero te quoque natura ad uirtutem colendam duci. Dabis igitur operam, ut quò te uocat natura tua, & patris uiri optimi auctoritas, et praeceptorum monita, magno studio optimas artes & uirtutis doctrinam discas. Tuae literae fuerunt mihi gratissimae: tibique persuadeas uolo, gratum te mihi esse facturum, si ad me sepius scripseris: & ut spero, remunerabor te, ut ait Hesiodus, eadem mensura, atque etiam uberiore. Bene uale. Mense Iulio, Anno 1533.

M. Ioanni Marcello Regiomontano, S. D.

Si uita humana tantum humanis consilijs regeretur, perissem funditus & Ecclesiam & politiam existimarem in hac parricidali gigantomachia. Sed non dubito Deum seruaturum esse reliquias suae Ecclesiae. Hac nos consolatione sustentemus; quam cum uigilans assidue cogitem, fortassis & dormienti somnia eam cogitationem offerunt. Mito tibi uersus de somnio. Non est fictum argumentum: sed ego poeta sum penè ut tu, qui non tam illustrem picturam uersibus pingere possum, ut illa erat. Erat enim  
mens